

ISAACI HOLLANDI FRAGMENTVM DE  
*lapide Philosophorum.*

CVM decrevisti super Venerem ad rubrum projectionem facere memineris lapidis materiam lento igne semper sublimare atque etiam fixare, qui tametsi longioris est temporis, tamen ea ratione humiditas ejus melius conservatur.

*Lapidis sublimatio.*

Ergo ad terram tuam vel corpus vel fermētum vel rem fixam volatilem reddendam, miscēdæ sunt rei volatilis partes tres cū rei fixæ parte una, ac moderatio igne sublimandæ, ut ante ostendi. Quando partes volatiles fixas superant eas secum in sublime rapiunt idq; tanto facilius; tunc enim se mutuo avidius amplectuntur. Alii totam materiam in vitro fixandam ponunt ut prius, & apparent quotquot sunt in mundo colores, tumq; paulatim minui incipiunt ac tandem in unum colorem album omnes desinent quo gaudento, quia tūc lapis est fixus. Hic rursus fuerunt alii prioribus illis paulo acutiores, qui lapidem suum hucusq; per ductum omnibus numeris completum esse rati super Mercurium & Iovem nullo cum fructu projecerunt, quod non fundi posset neq; ingredi, unde hi re desperata ab opere destiterunt. Contra haud dubie opinaturi, si veterum scripta intellexissent, in quibus passim ajunt inferiorem mundum rore majali tamdiu esse humectandum, donec albos flores & rubros ferat.

Item Regem lacte suo esse nutriendum donec adoleverit, ad hæc terram clara aqua paradisi irrigandam, cujus crebro in cœlum ascendit atque in terram descendit.

Itaq; ut ad operis complementum perveniamus cum lapide tuo, ut supra dictum est, fixato misce quartam partem spiritus ut sint lapidis partes 3. & spiritus pars una, pone in vitro fixatorio, unaq; illa spiritus pars brevi spacio cū lapide fixabitur. Nam quemadmodum tres spiritus partes facile unam corporis secum in sublime trahunt, ita contra tres fixæ unam volatilem haud difficulter fixam uniusque secum naturæ & complexionis efficiunt: jam vero illa parte fixata, servata semper eadem fixi & volatilis proportionē alteram ei miscēcum eo fixandam, idque tamdiu repete donec lapis tuus super candentem Veneris laminam fundatur, eamq; non aliter quam oleum corium siccum penetrat, tunc habes lapidem Philosophorum omnibus numeris absolutum.

Ex his jam apparet, quantum materiæ initio sit sumendum, ut universum opus perficiatur, quantaque spirituum copia sit